

107e

T. o. 590.

6

Fortunante CHRISTO!
EXERCITATIONUM ETHICARUM
ad Lib. IV. Ethic. Nicom. Arist.

QVINTA
DE


LIBERALITA
TE, MAGNIFICEN
TIA, MAGNANIMITATE
ET MODESTIA,

quam
PRÆSIDE
DN.

FRIDERICO CAHLENO
M. & P.L.C. Gymnasii Hallensis Recto
re, Præceptore ac Hospite suo observan
ter colendo,

defendendam suscipiet
PRID. KAL. JULI, A.O.R. CI^o I^o C LVI.
H. L. Q. S.

ADAMUS à Wolffersdorff/
Eqv. Lusat.



Prelo SALFELDIANO.

diva
are:
cau-
fas,
tu-
ltū?
AR-
ore
tæ?
VO
SU.
lens,

*Illustribus, Generosis, Præ-Reverendis,
Nobilissimis, maximèq; Strenuis & Amplis-
simis VIRIS Dominis,*

**DNN. PRÆLATIS,
EQVITIBUS, Cœterisq; STATI-
BUS MARCHIONATUS Lusatia
Superioris per territorium
BUDISSINUM,**

*Dominis ac Mecœnatibus meis gratio-
sis, omniq; observantia cultu de-
venerandis*

Has studiorum suorum primitias,
perpetui cultus obsides,
gratitudinis indices

&
favoris perpetuandi illices
ex debito sacrat

ADAMUS à WOLEFERDORF.
Nobil. Lusat.



ΘΕΟΤ ΣΤΜ ΠΡΑΞΟΝΤΟC!

ΠΡΟΠΑΙΔΙΑ ΑΝΑΛΤΤΙΚΗ

PRemissã superiori Exercitatione
 Διαΐσει generali omnium Virtutum, con-
 sideratisq̃ illis, quæ internum animi habi-
 tum respiciunt, virtutibus, videl. Fortitudine &
 Temperantiã, nunc cum Philosopho nostro ad
 LIBR. IV. pergimus, in quo virtutes externa
 respicientes pertractat. Sunt verò illa vel per-
 fectæ, vel Imperfectæ. Illa considerantur, vel
 extra conversationem, suntq̃ occupata vel cir-
 ca divitias, easq̃ vel mediocres sive communes,
 & est Liberalitas. Cap. 1. vel circa Magnas, &
 est Magnificentia. Cap. 2. Vel occupantur circa
 Honores, qui vel sunt Magni, & est Magnani-
 mitas. Cap. 3. vel parvi, & est Modestia. Cap. 4.
 Velut sunt In conversatione, & respiciunt tum
 iram, circa quam est Mansuetudo, Cap. 5. tum
 familiaritatem, partim in rebus seriis, vel respe-
 ctu personarum, & est Comitas, Cap. 6. vel

rerum ipsarum, & est Veracitas. Cap. 7. partim
 in iucundis, & est Urbanitas. Cap. 8. Imperfe-
 cta Virtus, quæ & pictura Virtutis dicitur, est
 Verecundia. Cap. 9. Nos hac vice, ne nimis ex-
 crescant opera nostra, in IV. prioribus Capp. ex-
 plicandis, (ὡς θεῶν παλάμα distinebimur, reli-
 qua proxima servaturi Exercitationi.

EX CAP. I.

THESIS I.

Liberalitas est Virtus moralis ser-
 vans modum in pecuniis mediocri-
 bus dandis & accipiendis.

ἐκ θεσις.

In capite I. agit Philosophus de Liberalita-
 te, tanquam communiore & pluribus com-
 petente, partim absolutè, vel quoad definitio-
 nem, quæ tum ponitur, tum probatur, vel quo-
 ad affectionem, quam desumit tum ab objecto,
 quod ait esse pecunias, tum à medio. Defini-
 tionem probat, quoad genus, quod sit Virtus,
 quia facit habentem bonum, & opus ejus red-
 dit bonum, dum facit benè uti pecuniis, & af-
 fectus circa illas moderatur: quoad differen-
 tiam,

tiam, quæ petitur ab objecto. Liberalitas enim circa pecunias versatur, 1. *quia* liberalis præcipuè laudatur propter rectam tractationem pecuniæ, quando ut oportet, in dando & accipiendo circa illam versatur. *Pecunia* vero nomine hîc Aristot. non solum numum intelligit impressum, sed & res omnes, quæ in commutationem cadunt, & æstimari possunt pecuniâ tanquam mensurâ. 2. *quia* etiam extrema ejus, scil. illiberalitas & prodigalitas circa pecunias versantur. 3. *quia* uti proprius actus virtutis circa propriam materiam versatur, sic, *quia* benè uti pecuniis est proprius actus liberalitatis, etiam pecunia erit propria ejus materia s. objectum: partim respectivè, quoad extrema.

THESES. II.

Liberalitas magis versatur in dando, quàm in accipiendo.

ἐκ θεοῦ.

Quia 1. honestius est agere, quàm pati. 2. *quia* dando gratiam quis meretur. 3. Majorem laudem ex actu largiendi adipiscitur. 4. Est difficilius, & ideò pulchrius. 5. *quia* communiter obtinuit usus, ut dicantur libera-

les, non qui accipiunt, sed qui elargiuntur. Et
6. quia ob rationes adductas, aliasq; est utilius
dare, quam accipere.

THESES. III.

IN liberalitate exercenda consideran-
dus est tum finis, tum modus.

ἐκ θεοῦ.

Quoad finem necessum est, ut liberalis det vel
accipiat *honestatis causa*, non ex ostentatione
aut spe maioris boni acquirendi. 1. ὀρθῶς,
rectè, quoad modum, considerando circum-
stantias personarum, quantitatis, qualitatis,
temporis, loci, dantis animi, &c. 2. ὑδέως, *li-
benter* & sine molestia. Hilarem enim dato-
rem etiam DEUS diligit, SIR. 35, V. 11. 2. Cor. 9.
V. 7. 3. Φεγνέως, *prudenter*, non quibuslibet
indiscriminatim obviis, sed iis solum, quibus
oportet, h. e. dignis, aut extremè indigentibus.
4. ἐυμετρίως, *moderatè*, pro modulo facultatum
suarum. Unde homo mediocri conditionis
dans nummum, æquè liberalis esse potest,
ac opulentior dans grossum. Itemq; pro
conditione accipientis, observando gradus
tum societatis civilis, tum indigentia acci-
pient-

ipientium. 5. *εὐκαιρῶς*, *tempestivè*: Etenim, bis dat, qui citò dat. 6. *αὐτῶσίως*, *de suis facultatibus*, non de alienis.

THESES. IV.

Ejus, qui in accipiendo vult liberalis laudare, certa quædam sunt officia.

ἐκθεσις.

Cùm enim duo sint actus liberalitatis, δῶσις ἢ λήψις, adeòq; quis in accipiendo quoq; possit liberalitatem exercere, observanda sunt sequentia: 1. *ne accipiat, unde non oportet*, quia non est turpis lucri cupidus, nec tanti facit pecuniam, ut ejus causâ aliquid præter jus faciat. 2. *ne sit petax, αἰτητικὸς*, mavult enim benefacere, quàm ab aliis beneficium accipere. 3. *honestè studeat facultates suas augere*, unde ipsi suppetat ad δῶσιν. Res enim suas non debet negligere, sed decenter conservare, ut sit, unde aliis porrò largiri possit.

THESES. V.

Exrema liberalitatis duo sunt, alterum in excessu, ἀσωτία s. prodigalitas, alterum in defectu, ἀνελευθερία, illiberalitas sive avaritia.

A 4

ἐκθεσις.

ἐκθεσις.

Prodigalitas est vitium, quo in dando modum excedimus, nullâ habitâ ratione circumstantiarum. Prodigus enim temerè profundit facultates suas, & seipsum quasi perdit. Hinc Aristotel. sic definit prodigum: ἀσώτως ἐστὶν ὁ φθείρει τὴν οὐσίαν, καὶ ὁ δὲ αὐτὸν ἀποκλύμνυται: i. e. prodigus est, qui corrumpit suam substantiam, & suâ culpâ perit. *Avaritia, (ἀνελευθερία) est vitium, quo in accipiendo modum excedimus.* Est enim avarus, qui non impendit, ubi decet, quando, & quantum decet. Avarus verò non solum is dicitur, qui dando deficit, γλίχρῳ καὶ ῥηπαρῶς, tenax & sordidus: sed etiam αἰχρῶ κερδῆς, turpis lucri cupidus, & opes per fas & nefas corradens.

THES. VI.

Avaritia deterior est prodigalitate.

ἐκθεσις.

Quoniam 1. avaritia tam peccat in accipiendo, quàm in dando. 2. prodigalitas convenit cum liberalitate in principali actu, scil. in dando & erogando pecuniam; Avaritia verò tantum in actu secundario, qui est accipere. 3. Prodigalitas potest facilè corrigi,

ava-

avaritia non item, hinc plerumq; senum hoc vitium est, qui quò minus viæ restat, eò plus conquirunt viatici. 4. Magis aduersatur medio, scil. liberalitati avaritia, quàm prodigalitas, quæ tantummodo differt ab illâ. 5. Homines frequentius circa avaritiam peccant, quàm prodigalitatem; est namq; innata homini propter amorem sui. 6. Avaritia nemini est utilis, ne ipsi quidem avaro.

CAP. II.

DE MAGNIFICENTIA.

THES. VII.

Magnificencia est virtus, mediocritatem seruans in magnis sumptibus decenter faciendis.

ἐκθεσις.

Ἡ μεγαλοπρέπεια ὅτι δαπάνη ἐν μεγέθει πρέπεια. Subjungitur Liberalitati Magnificencia haut immeritò, cum illæ duæ virtutes non multum inter se differant. Illa enim de mediocribus opibus privatim, hæc verò de magnis publicè potissimum benefacit. Estq; virtus principibus & magnatibus cum primis

A 5

digna:

digna: hi enim cum Imperio sunt, & inter Mortales eminent, ut multis benefaciant, sicut, Aristoteles ad Alexandrum Magn. scripsit. Vid. Senec. l. 5. de benefic. c. 6. Sed differunt tamen actibus, qui est in Liberalitate dare & accipere, sed in Magnificentia tantum est *δαπανᾶν*, sumtus facere. 3. Nemo propriè liberalis est in se & suos, sicut quis in se & suos potest esse Magnificus. 4. Differunt etiam subiectis, & objectis, uti videbimus.

THESES. VIII.

Objectum Magnificentia sunt magni sumtus.

ἐκ θεοῦ.

Non quidem promiscuè impendendi, sed in Reipubl. utilitatem præcipuè, uti in ædificia publica, templa, scholas, armamentaria, granaria &c. Nam qui in res privatas impenduntur sumtus, non propriè pertinent ad Magnificentiam, nisi in solennibus, nuptiis, funeribus, genethliacis, &c. Hinc obscuri, ignobiles & pauperes non possunt esse Magnifici, nisi forsitan affectu, quamvis nequeant esse liberales actu.

THESES.

THES. IX.

Officia Magnifici quoque certa sunt, nempe ut sit sciens, prudens, honestus & liberalis.

ἐνθεσις.

Sciens fit propterea, ut decorum fervet, in talibus operibus præstandis: *Prudens*, ut supeditet sumtus tali operi congruos: *honestus*, ne vanæ ostentationis causâ illud faciat: *liberalis*, ut largiatur prolixè & libenter. Hinc qui in res inutiles, ineptas, indecoras, ludicras & similes magnos impendunt sumtus, aut largiuntur, quibus non convenit, aut nimis parcè sumtus faciunt in rempubl. non sunt habendi Magnifici.

THES. X.

Exrema Magnificentie sunt in excessu luxus, in defectu sordities.

ἐνθεσις.

Luxus (βαυαυοία) est vitium modum excedens in magnis sumtibus faciendis: quod fit tum ratione *forma*, quando magni sumtus fiunt ineptè & indecorè: tum *materia*, si in res viles, & ludicras: tum *finis* deniq; si ostentationis

cau-

causâ fiunt. *Sordities* (μικροπρέπεια) est vitium in magnis sumptibus faciendis indecorè deficiens. Sunt autem sordidi seu Parvifici tres proprietates. 1. quod pro modico totum perdat. 2. quod cum tarditate & cunctatione expendat. 3. cum tristitiâ quadam.

CAP. III.

DE MAGNANIMITATE.

THES. XI.

Magnanimitas est virtus mediocritatem servans circa magnos honores moderatè capessendos.

ἐκθεσις.

Μεγαλοψυχία ὄτι μεσότης πρὸς τὰς μεγάλας τιμὰς. Subjungit hanc Philosophus noster Magnificentiae dubio procul propterea, quia utraq; pro objecto sibi vendicat res magnas à fortunâ pendentes, quales sunt magni tum sumtus, tum honores. Non accipitur hîc definitum *impropriè & latè*, pro injuriæ animosâ propulsatione, quomodo cum fortitudine coincidit. Sed *propriè & strictè*, pro virtute moderante appetitum magnorum honorum, eorum-

eorumq; decentem possessionem & conser-
 vationem. *Genus* cum reliquis habet com-
 mune. Est enim Magnanimitas virtus quia
 licet circa magna, & sic non circa medium
 occupari videatur, tamen in illis magnis mo-
 dum servare docet, cum sit inter duo extrema
 posita virtus. *Magnanimus* igitur est, qui cum
 magnis dignus sit, etiam se iis dignum iudicat. Ar-
 duum igitur est, esse magnanimum, cum non
 absq; concursu multarum, optimarum ac ho-
 nestissimarum rerum contingat. Vid. *Horn.*
Disp. Eth. 4. p. m. 77.

THES. XII.

Objectum *Magnanimitatis* est ma-
 gnus honor.

ἔκθεσις.

Quia i. Virtus ipsa versatur circa magna.
 2. Quia dignitatem praesupponit. 3. Quia ex-
 ternorum bonorum est summum, quippe
 quod claris Viris, & Diis ipsis exhibetur.
 4. Quia ab optimo & summo quoq; expeti-
 tur. 5. Quia deniq; opposita ipsi vitia circa
 honores magnos versantur.

THES.

Officium & actio Magnanimi multiplex occurrit.

ἐκ θεοῦ.

In genere ipsum decet, magnos & meritos honores convenienter & cum ratione expectere vel contemnere, *Donalds. lib. 3. Eth. c. 5.* In specie 1. cupit esse & videri Vir bonus, ut maximo præmio dignus appareat. 2. à laudatis laudari lætatur. 3. In secundis non nimis insolescit, in adversis non nimis frangitur. 4. In beneficiis dandis promptus, in accipiendis tardus est: quia qui accipit, danti quasi obstrictus est. 5. Libenter recordatur beneficiorum suorum; quia excellere cupiens, amat de prædicari suam liberalitatem. 6. Conversatur libenter cum viris magnis, & in dignitate constitutis, quia magnis interesse, generosi est hominis, cum econtra inter plebejos morari, abjecti sit & humilis. Non tamen conversatur cum iis, quorum splendore existimatio & dignitas ejus possit hebetari, propterea non accedit facilè ea loca, in quibus omnes sunt magni, quia ibi adæquatur inferioribus.

7. Ma-

7. Magnanimus in actionibus suis quodam-
 modò cunctatur, quia deliberato animo facit
 omnia. 8. Apertè amat aut odit: non enim
 timet, sed est liber & apertus, veritatis simul
 amans: In vulgus verò prudenter dissimulare
 novit, quia magnitudine suâ putat indignum,
 plebi sua consilia & facta esse cognita. 9. Al-
 terius à nutu non pendet, putat enim servile,
 & assentatorium. 10. Non facilè quicquam
 admiratur, quia ipsi nihil magnum est. 11. In-
 jurias generosè contemnit & obliviscitur, est
 enim mansuetus. 12. Non temerè laudat vel
 vituperat alios, ne in vanitatis incidat opi-
 nionem. 13. Motus habet sedatos, vocem gra-
 vem, Orationem sedatam & stabilem, quia fe-
 stinatio est servilis, &c.

THES. IV.

EXtrema Magnanimitatis sunt in
 defectu quidem pusillanimitas, *μι-
 κροψυχία*, in excessu verò fastus sive animi
 elatio, *χαυρότης*.

ἐκθεσις.

*Pusillanimitas est vitium, quo quis is etiam
 honoribus se indignum putat, quos tamen jure
 mere-*

meretur. Tales aut timore aut laborum fugâ præpediti, fiunt injurii in DEUM, & in seipios, dum se multis bonis spoliant, imò suspectos reddunt alicujus sceleris, quo absterreantur ab honoribus publicis: redduntur quoq; segnes & patriæ inutiles: in alios peccant, quos exemplo suo corrumpunt. *Superbia seu fastus est vitium in magnis honoribus appetendus modum excedens.* Jure culpandus verò est *omnis superbus*, quoniam *Stultus & ignorans est*: affectat enim ornatum in bonis fortunæ, ut in vestitu, gestu, oratione, insuper res suas secundas statim cuivis obvio propalat, deq; rebus suis jactabundè disserit. Hinc rectè Germani nostri: *Stultus und Stolz / wachsen auf einem Holz.* Est insuper *injustus*, quia plus sibi vult tribuit, quàm debetur, & virib9 majora audet, quæ non potest ad finem deducere, & sic aliis valdè nocet.

Magis tamen pugnat cum Magnanimitate pusillanimitas, quàm inflatio sive superbia, quia 1. frequentior, & 2. deterior, dum ad laudabilia studia & officia planè torpidos reddi homines.

CAP.

CAP. IV.
DE MODESTIA.

THES. XV.

MODESTIA est virtus circa honores
mediocres promeritos moderatè
expetendos aut aspernandos, Φιλοτιμία ὄχι
μεσοῦτης περὶ τὰς τιμὰς μὴ ὑπερβαλλέσας.
ἐκθεσις.

Virtutem circa magnos honores occupa-
tam rectè excipit ea, quæ circa parvos aut
communes versatur. Et quamvis videantur
à se tantummodo gradibus sive secundum
magis & minus differre, adeoq̄ve non consti-
tuere diversas species virtutis, quia sunt circa
idem objectum: tamen utut quoad materiale
objecti conveniant, quia *distinguantur objecto
formali*, idè *rectè dicuntur differre specie*, sicut
liberalitas hoc modo differt à magnificentia.
*Vid. Arist. lib. 1. M. M. c. 26. L. 3. Ethic. Eudem.
cap. 4. Versor. Ethic. fol. 132. Stapul. Jac. Martin.
& alii.* Hanc virtutem Aristoteles dicit esse
ἀνόνημον, seu nomine proprio carentem, ejus
tamen Interpretes *Φιλοτιμίαν* dixerunt, nomi-

B

ne

ne alterius extremi, (est enim vocabulum μέ-
σον seu mediæ significationis, quod in bonam
& malam partem à Græcis capi solet.) Latini
vocant Modestiam. Hæc sumitur hoc loco
non generaliter, pro ordine decorum obser-
vante in omnibus vitæ actionibus, aut pro
moderato omnium virtutum usu: sed *speciali-
ter*, pro habitu laudabili *modum statuente* (unde
quidam modestiæ vocem dictam volunt:)
in honoribus mediocribus etiam debitis de-
center prensandis.

THES. XVI.

Objectum *Modestiae externum est*
honor parvus seu mediocris.

ἐκ θεοῦ.

Cùm enim insita sit homini per naturam
gloriæ & honoris quædam appetitio, & *dege-
neres animos timor arguat*, juxta illud *Virgil. L.*
4. Æneid. hæc virtus docet, quomodo hono-
res mediocres decenter vel recipiendi sint, vel
moderatè recusandi. Hinc ille, qui in his ap-
petendis ut oportet, sese gerit, modestus dici-
tur, dum scilicet nec magis, quàm oportet, nec
minus, quàm oportet, appetit, aut adspernatur
eosdem.

THES.

THES. XVII.

EXtrema Modestiae sunt in excessu
Ambitio Φιλοτιμία, in defectu Ho-
norum contemptus, α΄ Φιλοτιμία.

ἐκ τῆσις.

Ambitio est vitium, quo quis honores me-
diocres magis quam oportet, & unde non oportet,
affectat. Haec juxta Claudianum lib. 2. de laud.
Siliic.

- - Vestibulis foribusq; potentum

Excubat, & pretiis commercia poscit honorū.
Multi quippe altas ambitionis cedros scan-
dunt, sed fractis ramis, quibus nimis securè ni-
tebantur, periculosè decidunt. Honorum con-
temptus econtra est vitium, quo quis omnem hono-
rem, etiam sibi debitum, & ultrò oblatam, respuit.
Rarius hodiè istud est vitium, cum Cicerone te-
ste lib 1. Offic. vix inveniatur, qui laboribus su-
ceptis, periculisq; aditis, non quasi merce-
dem desideret honorem & gloriam.

THES. XVIII.

HAEC extrema respectivè considerata
interdum in bonam partem solent
accipi.

A 2

ἐκ τῆσις

Etenim qui parvum aliquem honorem appetit, respectu ambiciosi potest videri contentor: at respectu contentoris ambiciosus. Sic φιλότιμος sæpè idem est, ac φιλόκαλος, id est honoris & honestatis Studiosus: & econtra ἀφιλότιμος dicitur, qui non nimium honores affectat, etiam eos, quibus se dignum esse novit, quam virtutem Theologi vocant Humilitatem. *Horn. Ethic. lib 3. c. 8. p. 411.*

THES. XIX.

Horum extremorum unum altero deteriorius est. ἐκ θεοῦ.

Sunt quidem, qui Honorum contemptum pro deteriori vendicent, cum quodammodo naturæ communi humanæ, quæ unicuique igniculos laudum & stimulos gloriæ indidit, ita ut Cicerone teste in *Orat. pro Archiâ*, optimus quisque; maximè gloriâ ducatur, repugnet: sed videntur tamen ambiciosi & superbi deteriores, quia majus damnum Ecclesiæ & Reip. infligunt, suntque verè homines, Plautino verbo, odiodistici, passim invisæ, & ad conversationem civilem inepti.

TANTUM!

CON-

CONSECTARIA EX HIS VIRTUTIBUS:

I. Melius & beatius est dare, quàm accipere.

Verbum hoc Salvatoris fuit, teste Paulo Act. 20.
Etenim cum bene uti divitiis, sit actus liberalitatis precipuus: hoc verò danti potissimum competat, ideò & dare prestantius erit, quàm accipere. 2. quia virtus potissimum in operatione consistit: jam qui dando liberalitatem exercet, juxta illam precipue operatur. E. erit prestantius, & 3. quia beneficium dare melius est quàm illud accipiendo sese aliis obstringere. Vid. quæ in ipsis thesibus monuimus ex Arist.

II. Numus introductus est tum ob necessitatem, tum ob utilitatem.

Est enim pecunia (à pecude dicta, quæ primum imprimi eidem consueverat) utilis ad permutationes & contractus alios emtionis, venditionis, conductionis, locationis &c. facilius instituendos. Necessaria verò est, quia rerum omnium & mercium permutationes ubivis gentium locum non habent, quia multe regiones dantur steriles, in quibus non semper inveniuntur bona,

quæ aliis populis æq̄ grata sint, ut permutationes commodè possint fieri.

III. Largitione officium publicum extorquere impium & liberalitati contrarium est.

Ita proh dolor! hodiè mortalium multi & magni argentangine in fausto laborant morbo, ut sæpè illiteratos & fungos, machinis argenteis pugnare valentes, ad publica evebant & splendida munia paupertina verò sortis alumnos, ut ut eruditos ac virtuosos, omni ope & promotione destituant. Verum peccatur hic tam in δώσει quàm λήψει. 1. enim est hoc Legibus prohibitum ad L. Jul. de Ambitu. Est 2. in honestum, emtis populi suffragiis emergere. 3. Est infame, quia damnati ambitus, infamia notantur. 4. In sacris muneribus omnis simonia damnata est ad orcum. Interim post curam & laborem insumentum Vir bonus salvâ conscientia aliquid dare & accipere præmii loco potest modò observet justitiam, honestatem, conscientiam & salutem publicam.

IV. Liberaliores esse solent, qui divitias aliunde per fortunam, aut hæreditatem, quàm qui suo labore acquisiverunt.

Quia

Quia 1. tales nondum didicerunt indocilem pati pauperiem, nec quid valeat numm9, quem præbeat usum, Horatii verbo, aestimant: & quia divitia illa nullo constiterunt labore ac sudore, juxta aestimant, sive tantas opes possideant, sive minus. Cum econtra magno qua parte labore plus aestimentur, & chariora nobis esse soleant. 2. quia quivis sibi ipsi proximus magis sua, quam aliena curat & diligit. Quod Aristoteles probat exemplo parentum, quorum major longè est φιλοσογία in suos, quam in alienos liberos.

V. Romanus Pontifex, ut ut splendida ædificia publica exstruens, non est magnificus.

Miratur meritò orbis Christianus cum D. Petrus seipso fatente Actor. 3. v. 6. aurum & argentum non habuerit, unde Romanus Pontifex, falsò sic dictus ejus successor, ex patrimonio Petri, quod semper jactitat, tantum habeat, ut tot basilicas, cœnobias, aliag, sumtuosa ædificia exstruere, tot legationes per universum ferè orbem sustinere, & sumtus vix summis Imperatoribus tolerandos erogare possit? aut num propterea verè dicens sit Magnificus? Nos negamus. Quia magnos illos

illos sumtus non facit de propriis, sed alienis injustè corrasis & coacervatis. Id quod probat totus orbis Christianus; Probant contributiones per diversa regna Europæa, redemptiones palliorum Episcopatum, dispensationes, bullæ, sigilla tolerantia (uti barbarè vocant) meretricum, & lupanarium, indulgentiarum, missarumq; nundinationes &c. de quibus Mantuanus olim rectè:

- - - Sunt venalia Romæ

Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ, Ignis, thura, preces, cœlū est venale, Deusq; Vid. B. Lutherus Tom 4. Lat. Jen. fol. 187. & alibi Hunnius lib. de Eccles. Rom. & Antichrist. pag. 385.

VI. Rectores Academiarum, & Principum Consilarii rectè dicuntur Magnifici.

Quia licet non magnos sumtus faciant publicè in splendidis adificiis extruendis, tamen quia rempubl. magis juvant magno consilio, quàm magno sumtu, meritò tales audiunt. 2. quia ipse Imperator Justinianus Consiliarium suum Tribonianum vocat Magnificum, in proœm. Instituit. 3. Quia formale Magnificentia non in magnis

magnis sumptibus promiscuè faciendis, sed pro decore & salute Reipubl. ad quam Viri auctoritate & prudentiâ insignes non parum conferunt, impendendis consistit.

VII. Magnanimitas non dedecet hominem Christianum.

Non desunt, qui contrarium videntur asserere. Ludov. Vives lib. 6. de caus. corrupt. art. Vitus Amerbach. l. 1. Magn. Moral. Danæus l. 3. Ethic. Christ. cap. 2. *cùm videatur ad superbiam, aliorum despicientiam, ingratitude, jactantiam & simulationem homines invitare.* Verùm Aristoteles præsupponit mentem 1. Virtute probè imbutam. 2. quæ honorem promeruit. 3. & in illâ optimâ de se existimatione acquiescit, nec effertur honoribus oblatis, nec spernit acquirēdos. Et licet Magnanimus de se magnificè sentiat, non tamen ob id peccat, cùm sibi nihil injustè arroget. Quia igitur sacra etiam litera jubent, ne dotes divinitus concessas contemnamus, 2. Cor. 12. in super cum Magnanimitas non contrarietur humilitati, sed possit aliquis civiliter esse magnanimus & nihilominus erga DEUM humilis, iccirco vera erit thesis nostra assignata.

VIII. Magnanimus non est, qui injurias meminit & ulciscitur.

Putat, si sint leves, & non atroces, vitam, & huic equiparandam famam laedentes aut imminuentes. Est enim hoc 1. contra officium viri prudentis. 2. animi imbecillis & plebej proprium. 3. est puerile & molle. 4. Legibus divinis & humanis prohibitum.

IX. Honores legitimè ambire licitum est.

*Quamvis gloria & honor Crocodilum imitari, & fugientem sequi, sequentem fugere soleat sicut & de Catone tradidit Sallustius, quòd quo minus gloriam quæsiverit eò magis eandem fuerit consecutus: Haut tamen indecorum est, ambire honores publicos & meritos. Est enim ambitus duplex, alius infamis, qui vi, dolo, largitionibus peragitur, quem & Aristotel. 2. politic. cap. 6. rejecit. & popularis, si is, qui expetit aut ambit honorem 1. ipse sibi conscius sit suæ peritiæ, & virtutis, quæ dignitati aut officio futuro par esse queat. 2. integrum liberumq; judicium electoribus & promotoribus relinquat. 3. In Sententiâ suâ libens acquiescat, nisi viderit, se præter omne
meri-*

meritum ex affectu vilipendi, & aliis indignioribus cum jacturâ melioris salutis post haberi.

X Contra modestiam non peccat, qui justas ob causas alteri sese præfert.

Licet enim modestus sibi præferri eos facile patiatur, qui virtute, meritis aut dignitate sunt præstantiores: tamen indignos, aut non æq̄ dignos, virtute, doctrinâ vel meritis inferiores sibi præferre & se præstantiores estimare, non modesti sed abjecti & sordidi animi censetur indicium. Natura quippe pares sumus, sed virtute distinguimur, juxta Sallustium. Ergò in ipsam Virtutem ejusq̄ cultores strenuos injurius esset, qui post multos labores in studio virtutis suum ipsius estimium vilipenderet, aut sese infra plebem abjiceret.

XI. Honor magis est honorantis, quàm honorati.

Videtur contrarium esse verius: Nam honor ejus est, cui exhibetur & est eius premium. 2. quia honoratus ab honore denominatur. 3. quia Honor est operatio transiens & recepta ab honorato. 4. quia est signum virtutis, quæ est in honorato. 5. quia honoratus fructum honoris percipit,

capit, dum augetur ipsius fama & autoritas. 6. Cō-
trarium honoris, nempe probrum, dedecus infam-
ia non sunt in largiente, sed recipiente. E. nec
honor. Notandum hic: Honorem considerari du-
pliciter, vel Materialiter, vel formaliter. Mate-
rialiter iterum capitur vel pro causâ internâ,
sc. virtute aut meritis, & sic honorati esse dicitur:
vel pro signo externo, & sic potest esse utriusq;:
fluit enim ab honorante, & transit in honoratum.
Formaliter verò, quatenus effectus ille non prin-
cipaliter materiae aut objecto est tribuendus, sed
causæ efficienti per formam in objectum ob-
latum agenti, rectè cum Aristotele dicitur, hono-
rantis totius honorem, quàm honorati, & magis
in illius quàm hujus arbitrio ac potestate esse.
Vid. Jacob, Martin. in εὐδαιμων. Disp. 10. q. 9.



Nicht ist's genug / daß man von Adel sich nur schrei-
bet /

Nicht ist's genug / daß man nur troset auf das
Geld /

Nicht ist's genug / dz man nur pralet für der Welt /
Und übergrosse Pracht in schönen Kleidern treibet /

Der

Der kennt die Tugend nicht / der eiteln Dingen
gläubet /

Und einen solchen nur für hoch und adel hält /
Wenn nicht hierzu die Kunst und Tugend sich
gesellt /

Gewiß ein solcher Mensch ohn Ehr' und Würden
bleibet.

Die Tugend ist allein / die uns den Adel bringet /
Die mit durch alles Glük und neid der zeitē dringet /
Sie ist des lebens Zier / die unser Adelheit
Recht adel macht / und daß wir nicht gar sterben
können.

Wer euren Tugend, Sinn / Fleiß und Bes
cheidenheit /
Mein Wolfferstorff / betracht / muß euch recht
adel nennen.

Seinem geliebten Tischgenossen
schreibt es zu Ehren

Heinrich Herr von Scherf-
fenberg.

RESPONDENTI MEO

Gente & mente Nobili, inq; decus
sui Generis nato,

divinam benedictionem!

Romanos rerū Dominos, gentemq; togatā,
Reddidit insignes nobilis illa † Lupa.

Qui-

Quilibet hinc ducens ramum de stemmate
 Debet Romanis æmulo esse probè. (Tusco
 Et quia *Nobilitas* sola est atq; unica *Virtus*,
 Nil per se proavum longa propago valet:
Nobilis hinc Virtus insignia clara luporum.
 WOLFFERSDORFFE, Tuis contulit, atq; Tibi.
Magnanimus lupus hic duplex, & flava corona,
Te scutum rubrum non nisi magna jubent.
 Ergò colis merito *titulos virtutis & artis*,
 Ut tua *Nobilitas* clarior usq; micet.
 Euge bonum factum! *Virtuti* perge studere!
Magnificos titulos hæc Tibi culta dabit.

† De Remo & Romulo à lupâ nutritis Vid. Florus l. 1.
 c. 1. Plutarch. c. 65. parall Virg 1 Æneid. v. 279.
 Cicer. l. 2. de Divin. 20. Ovid. 3. Fastor. v. 53. Plin.
 l. 8. c. 17. Justin. l. 43. c. 2. 6 alii.

domestico & auditori charissimo
 toto adfectu precor

PRÆSES.

Clarior est veniens generoso è pectore virtus,
 Ut Wolffersdorfi fortiter ipse probas.
 Cæcus honoris amor & opum frenanda libido
 Quâ ratione fiet, te docuisse juvat.

Perge

*Perge decus generis virtuti in laude tueri,
Verè Magnanimus, Magnificusq; clues.*

*Melchior Heinrich Katten,
Nobil. Saxo.*

Parodia ad Odam XXIX Horatii.

A D A M E sacris Ardalidum scates
Gazis: & acrem militiam paras
A nullo adhuc victis novenis
Mentibus, & sub *Apolline* edis
Theses Salano. Quæ tibi gloria
Virtutum amanti nobilis ingruet!
Tuum quis ex nostro Lyceo
Non canet emeritum brabejum:
Doctus sagittas pellere subdolas
Arcu C A H L E N I: quis neget entheis
Dari comantes jure laurus
Ingeniis, decus & tradi?
Modò gregatos undiqve splendidos
Morum lepores, ingenium & sagax
Ornare Virtutum figuris
Pollicitus graviora, pergas.

*Bartholdus Müllerus,
Pattus. Brunsvic.*

Wiel

Ziel meynten/dasß man die sol ädelleute nennen/
 Die von den Zeiten her viel Ahnen zehlen können/
 In welchen Carolus der Grosse hat regierrt/
 Vnd Kom/ dein Keiserthum in Teutschland ein-
 geführt.

Wer seinen Adelstand nur einzig wil beweisen
 Mit einem Federbusch und übergüldtem Eisen/
 Vnd sonst nichts tapfres mehr noch Tugendhaff-
 tes hegt/

Der ist dem Schafe gleich das göldne wolle trägt.
 Wer aber nur verlacht des Glückes Ungewitter/
 Vnd den das Himmels Kind die Tugend schlägt zum
 Ritter/

Der ist ein adelmann. Dasß hastu wol gewust
 Mein werther Wolffersdorff:drüm rührt dich
 auch die Lust/

Dasß ehren-reiche Schloß der Tugend zu ersteigen/
 Wie dein Beginnen weist/damit du willst bezeugen/
 Dasß Tugend und Verstand ein' übergrosse Zier
 An denen Leuten sey/die andern gehen für.

Drüm fahre ferne fort/dein lob dasß nicht vergehet/
 Wird leuchten wie der Stern der vor der Sonnen
 stehet

Zur frühen Morgens-zeit: so wirstu nicht allein
 An Ahnen/sondern auch an Tugend adel seyn.

Philip Adolph Schmid/
 von Hall aus Sachsen.

65604

Handwritten text, possibly a title or description, partially obscured by the label.

ULB Halle


3

007 397 542



VD 17





B.I.G.

Farbkarte #13

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

6

Fortunante CHRISTO!
EXERCITATIONUM ETHICARUM
ad Lib. IV. Ethic. Nicom. Arist.
QVINTA
DE
**LIBERALITA-
TE, MAGNIFICEN-
TIA, MAGNANIMITATE
ET MODESTIA,
quam
PRÆSIDE
DN.
FRIDERICO CAHLENO
M. & P.L.C. Gymnasii Hallensis Recto-
re, Præceptore ac Hospite suo observan-
ter colendo,
defendendam suscipiet
PRID. KAL. JULI, A.O.R. CLXCVI.
H.L.Q.S.
ADAMUS à Wolffersdorff/
Eqv. Lusat.
Prelo SALFELDIANO.**

